



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 14. Cur Pigmenius sibi cæcitate sit gratulatus? & quam alij cæcitatibus
suæ poßint habere consolationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

corporis damnū, vt etiam in votis haberet

§. XIV.

*Cur Pigmenius sibi de cecitate sit gratulatus?
& quam alij cecitatis suæ possint habere
consolationem?*

Sabellic.
lib. 5. c. 7.

Magnæ sunt vtilitates oculorum, iucunditas excellens; si tamen his hominem priuet Deus, solatio est, spes rerum longè iucundiorum, in cælo, videndarum; præterquam, quod quædam inuisa non posse videri, sit quædam voluptas. Pigmenius Romanus presbyter, vel idcirco, se oculis captum, æquo animo ferebat, ne quando illi Christianæ Ecclesiæ inimicos aspicere contingeret. Quod cum non ignoraret Iulianus Apostata Imperator, obuiam illi factus per ludibrium, & magna ioci acerbitate illi dixit: *Gratias ago Dijs, ô Pigmeni, quòd te video.* Cui ille respondit: *Gratias ago Deo meo, quòd te non video.* Tam igitur forti animo cecitatem pertulit, quàm tyrannum contempsit. Dehinc Martyrij corona donatus videre cepit, quæ oculus non vidit; & audire, quæ auris non audiuit, & intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt. Verùm quid mirum est, si potuit patienter ferre oculorum noctem, qui adeò fortiter mortem ipsam

psam toleravit? Animus Deo coniunctus corporis morbos non recusat, si martyria ipsa optat: quin, etiam in ipsis morbis, reperit suas utilitates, commodaque videt, in ipsa cæcitate. *Oculos perdidit*, inquit ille, cui responsum est: *Quam multis cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus carebis, quas ne videres, erudiendi erant. Non intelligis, partem innocentia cæcitatem esse? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam concupiscat, huic urbem & mala omnia. Certè oculi irritamenta sunt vitiorum, & scelerum duces. Quæ non sunt accipienda in vituperium Conditoris, cuius admirabile & preciosum op⁹ est oculus; sed ab illis in solatium considerantur, qui infirmitate aut cæcitate oculorum capti, non cæcam Deam id fecisse queruntur; sed ab eodem benefactore vero Deo alijs agnoscunt oculos claudi, alijs aperiri. Paria possunt de alijs quoq; corporum malis cogitari, paria de omni Fortunæ plaga, cuius immortale exemplum in S. Eustachio eiusque omni familia; & recentius, in Sosa, eiusque generosa coniuge & toto comitatu, terra marique iactato, historici memorauerunt.*

Senec'
lib. de
remed.
Fortunæ.